



IOannes Francofurti honestis parentibus natus est anno 1461. erat is foelici ingenio praeditus. Itaque parentu consilio bonis literis opera dedit, & prima literarum fundamēta facile percepit. Postea studio rum amore Italiā petijt, & in celeberrima tū Bono- niensi Academia Medicinæ uigilanti studio incur- buit. Itaque etiam totius ordinis cōsensu Doctoralia insignia adeptus est. Postea in Germaniā reuersus, ad illustriſs. Marchiones Brandenburgenses perue- nit, atque anno 1486 in Medicum ordinariū Onoltz- bachij receptus fuit. In eo loco multis annis foelici- ter Medicinam factitauit, & in Norica regione ma- gnum sibi nomen cōparauit. Nam ad eruditionem

cōiunxerat pietatē, & in rebus agendis fidelitatē. Itaque Georgio principi fuit acceptissimus. Cū hoc modo per 45 annos in eo loco magna laude floruiſſet, tādē ætatis anno 70, salutis uerò 1531 obiit, atque Onoltzbachij in collegiata eccle- sia honorificè sepultus fuit, cū hac monumenti inscriptione, in qua annus obi- tus per literas numerales comprehenditur. quam Onoltzbachij anno 1565 (in mea per Germaniam peregrinatione existens) notauit, & hic subijcere uolui.

Claudit ut incuruæ bis septem lustra senectæ,

Ex uiuis celsit regna beata petens. Anon.